

Rever<sup>me</sup> et Ill<sup>me</sup> D<sup>ne</sup> Cardinalis.

Literas meas observantissimo et optimo animo a me 7<sup>ma</sup> huius mensis Augusti in civitate Spirensi exaratas Rever<sup>mae</sup> v<sup>trae</sup> Celsitudini debito et iusto tempore exhibitas fuisse certa fiducia confido: reddidi in iis tempestivè satis Ill<sup>mam</sup> v<sup>tram</sup> Celsitudinem & certiore de vacatione beneficii ecclesiastici per obitum viri haeretici circa finem iulii demortui, quo beneficio ceu canonicatu ut ego per intercessionem R<sup>mae</sup> et Ill<sup>mae</sup> v<sup>trae</sup> Celsitudinis a Beatissimo D<sup>no</sup> nostro Patre apostolice providerer unice itidem in dictis literis precabar, omnibusque desideriis expetebam; Ast eheu moerorem et tristitiam maximam incutit iniquissima quorundam hominum machinatio, nulla vel minima iustitia vel iustitiae specie suffulta, sed omni ex parte astutissima malitia et lucri cupiditate redundans; nomen enim defuncti diligentia summa adhibita experiri nequivi, cum valde secreto D. Iohanni Borgia Rom. curiae sollicitatori impetratio pro alio absente, catholicone dubito, fuerit interposita; imo quod maiori dolore me afficit erravi in nomine ipsius ecclesiae certissima persuasione inductus, vacare canonicatum in cathedrali ecclesia Halberstadensi; iam vero meliori informatione certioratus in Magdeburgensi cathedrali percipio. Verum enimvero consolatur me quod filii huius saeculi prudentiores sint filiis lucis, iterumque me animavit, inque spem erexit R<sup>mus</sup> et Ill<sup>mus</sup> D<sup>nus</sup> Antonius Sanctae Sedis apostolicae ad partes inferiores Rhenique tractum legatus a latere, qui ante plusculos dies se meam personam apud Summum Pontificem ideo recommendaturum, mihi literis significavit suis. Quare etiam v<sup>tram</sup> Celsitudinem summis meis precibus obnixè rogatam volo, ut singulari illa qua erga me propensus amore causam meam apud eundem Summum ecclesiae catholicae pastorem promovere haud dedignetur, quum res adhuc sit integra, bullaeque nondum expeditae; imo quare beatissimus pater priorem gratiam, si quae facta esset, revocare digniorique conferre non possit, quis catho-

/ licorum scrupulose dubitaret? Ego, ad meam personam quod concernit,  
 firmiter credo et nullatenus dubito, speroque me in tali haeretico  
 loco amplissimam habiturum facultatem et divinae gloriae, catholi-  
 caeque ecclesiae quam maxime augendae atque amplificandae et hae-  
 5 reseat impietatisque longe lateque propulsandae et extirpandae et  
 animarum fallacibus hamis inescatarum liberandarum, lucrificiendae-  
 rumque, Denique de maximis humani generis utilitatibus quam lon-  
 gissime ac prolixissime promerendi; quod votum meum ut v<sup>tra</sup> Celsi-  
 tudo tanquam verus meus Moecenas voto suo comprobare, Summoque  
 10 Pontifici cum aliquo insigni suae benevolentiae indicio commendare  
 velit, per sanctam crucem Domini nostri et vivifica ipsius vulnera  
 ardentissime precor. Dominus noster Iesus Christus sublimitatem  
 vestram diu nobis servet incolumem omnibusque rebus bonis, et sanc-  
 tis operibus eximie florentem. Vale Ill<sup>me</sup> mi D<sup>ne</sup> Cardinalis meque  
 15 nominis tui observantissimum tuo patrocinio nunquam destitue. Datum  
 Spirae 23 Augusti. Anno 1611.

R<sup>mae</sup> et Ill<sup>mae</sup> v<sup>trae</sup> Celsitudinis

Humillimus Servus

Iohannes a Reck

Marianus

20 Quanto tocca alle spese per l'espeditone delle bolle io ne ho dato  
 ordine a un prete di nostra Signora di l'Anima, chi paghera tutta la  
 cosa al Signor Giovanni Borgio doppo l'espeditone, con buon<sup>ma</sup> satis-  
 fattione.

-----

Reverendissimo et Ill<sup>mo</sup> Domino Roberto Bellarminio S.R.E. Cardi-  
 15 nali, Domino et patrono meo observantissimo.

Franco per

Romam.

(cachet enlevé)

Mantua

München. Reichsarchiv. Jesuitica in genere, fasc. 19 m. 324. Origin.  
 autogr.